

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Rudolph Redecker Matthäus Schlüter

Exercitatio Iuridica De Actu Iudiciali Extremo, Seu De Executione

Rostochii: Kilius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741509350>

Druck Freier  Zugang



Hinrichsen

RK für 1672

Herr. Rudolf Redeker, Pres. / d
Mathaeus Hüter, Resp.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn741509350/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741509350/phys_0002)

DFG

EXERCITATIO JURIDICA
De
ACTU JUDICIALI 29
EXTREMO,
Seu
DE EXECUTIONE,
quam,
D E O juvante,
P R A E S I D E
V I R O
M A G N I F I C O , N O B I L I S S I M O ,
E T E X C E L L E N T I S S I M O
DN. HENRICO RUDOLPHO
REDEKERO,

J Cto celeberrimo, Pandect. Prof. in Aca-
dem. Rostoch. meritissimo, h. t. Decano spectatissi-
mo, Ducis Meckl. Consiliario, & Consistorii provinc.

Adseffore gravissimo,
Domino, & Fautore suo pl. venerando,

ad diem XXII. Maii, A. C. M. DC. LXXII.
publicè defendet

MATTHÆUS SLUTERUS, Hamb.
A. & R.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Univerfit. Typogr.

1642



SERENISSIMO PRINCIPI

&

DOMINO
DN.



GUSTAVO
ADOLPHO,

DUCI MEKLENBURGICO,
PRINCIPI VETUSTÆ GENTIS HE-
NETÆ, SVERINI ET RACEBURGI, COMITI
SVERINENSI, PROVINCiarum RO-
STOCII ET STARGARDIÆ
DOMINO,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

exercitium hoc Academicum
humilimè dedicat

servus subjectissimus

Matthæus Sluterus.



I. N. D.
THESI PRIMA
traditur
EXSECUTIONIS
ομωνυμία, & ονυματική.



Xsecutionis vox inter alias,
quas Calvinus in Lexico jurid. no-
tavit, significaciones, denotat in-
terdum persecutionem injuria,
exemplo esse potest §. 1. Inst. de
publ. judic. ubi criminalem accu-
sationem innuit exsecutio: ac-
cedit l. i. §. 1. de priv. delict. l. ii.
pr. de accus. & inser. mihi exsecu-
tio hoc loco idem est, quod vul-
go, illo capienti eam sensu, quem
proxima thesis aperiet; & quod Germanis dicitur: Die Hülffe
die Hülffe ergehen lassen / die vollstreckung / oder volziehung der
Urtheil / einen rechtlicher weise seines Gutes entsezen. Vid. Ord.
Cam. p. 3. tit. 48. Colleg. Argent. de rejud. th. go. in Addit. Co-
ler. de proceß. exec. prafat. n. 21. secundum editionem d. a. 1586.
quâ hic & alibi usus sum, quia recentior non fuit ad manus.

Th. II.

DEFINITIO.

Exsecutionem in genere ita definio: Exsecutio est
actus judicialis ultimus, qui fit à judge competente,
ministerio publici executoris, per quem, secundum
A legum

Jef.

(2)

legum virtutem, sententia judicis ad effectum perdu-
citur, Nov. 125. c. 1. l. 2. 3. C. de exec. rei jud. l. ult. C. de custod.
reor.

Th. III.

DIVISIO.

Exsecutio duplex est: Alia Politica, alia Ecclesiastica; Hæc expeditur à judice ecclesiastico, per suspensionem, depositio- nem, interdictionem & excommunicationem t. t. X. de Cler. ex- comm. c. pen. X. de sent. excomm. c. 16. eod. in 6. c. 20. X. de V. S. 1. Cor. 5. vers. 5. 1. Tim. 1. vers. fin. Judex autem Ecclesiasticus interdum Brachium seculare invocare necesse habet. Matth. Steph. de jurisdict. lib. 3. p. 1. c. 14. n. 132. seq. Carpzov. Jurispr. Consist. lib. 3. t. 1. def. 13. in primis Rutger Rulant thesaur. jur. execut. part. 1. Illa, quæ præsentis est thematis, Civilis aut Criminalis est, §. 10. Inst. de injur. Vide Coll. Arg. de judic. th. 10. Besold. in delib. jur. l. 5. q. 4. Struv. de judic. th. 59. Quamvis autem divi- sio hæc admodum vulgata apud DD. sit, attamen non æquè fa- cile, quomodo causa, & ita etiam exsecutio, civilis, à criminali discernatur, cum super isthoc articulo diversimodè agant JCTi, vide Umn. disp. ad proc. 1. th. 2. n. 8. Mej. in C. A. de jud. d. th. 10. n. 12. Besold. in delib. jur. lib. 5. q. 4. Struv. de judic. th. 59. po- test definiri. Mihi, pro instituti ratione, distingue placet, inter jus Justinianeum, ubi civilis actio dicitur, quando id, quod in judicium est deductum, parti venit tribuendum: crimi- nalis autem, quando poena vel corporis est inflictiva, vel fisco ap- plicanda, §. 10. Inst. de injur. tot. tit. C. quando civil. act. crim. prajud. & inter jus, quo hodiè utimur, ubi Civilis actio dicitur, quando pecunia, seu res in commercio ac dominio exi- stens, est in exsecutione. Germ. eine Bürgerliche Sache / Crimi- nalis autem, quæ infert poenam corporis afflictivam, Germ. eine peinliche Sache: adeoque civilis exsecutio respicit commodum & emolumentum pecuniarium, criminalis autem vindictam pu- blicam, ne delicta impunita maneant, utque alii poenarum me- tu à maleficiis deterreantur. Ord. Cam. p. 2. tit. 28. §. 5. Besold. d. L.

Th. IV.

CAUSA EFFICIENS.

Executionis civilis causa efficiens *principalis* est *Magistratus*, & judex habens jurisdictionem, l. 15. pr. §. 1. ff. de re jud. Sive ipse judicaverit, sive delegatus, vel arbiter, Jo. Emeric. à Rosbach. proc. jud. civ. tit. 79. n. 3. Sed & ille Magistratus, qui non fuit judex causæ, per literas mutui, quas vocant, comparsus rogatus à judice qui sententiam tulit, executioni mandare debet rem judicatam, quæ in ipsius territorio sita est: sin recusaverit, à superiori sub poenâ gravi compellitur, Monach. præt. judic. part. 18. cap. 3. n. 3. seqq. Carpzov. jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 1. n. 4. 5. Jo. Emer. à Rosbach. d. tit. 79. n. 8. Judex vero ipse, non solum primæ instantiæ, sed & is, ad quem provocatum est, exequitur sententiam, sive irritam fecerit priorem sententiam, sive pedibus in eam iverit, l. 32. §. 2. fin. C. de appellat. Gail. 1. obs. 13. n. 16. Asin. §. 31. cap. 7. n. 1. dis. Cujac. l. 20. obs. 36. modò ne appellatio deserta fuerit, aut illi renunciatum: sic enim ad priorem judicem pertinet executio, Monach. d. cap. 3. n. 12. Utitur autem Magistratus ministerio apparitorum, sive officialium l. si lis. pignom. 50. ff. de evictio. vocantur hietiam viatores, §. tripli. 24. Instr. de action. l. is cui. 5. §. missus. 27. ff. ut in poss. leg. serv. cauf. esse lic. item executores, l. executorem. 8. C. de exec. rei jud. Coler. de proc. exec. præf. n. 24. Ipsi victori non permittitur ordinariè executio, l. 2. C. si in cauf. jud. l. miles. 6. §. 2. ff. de re jud. utut extraordinariè hoc judex vel judicatus ipse concedere soleat, l. 11. C. de pignorat. action. Sed & sine judicis & judicati permisso, si periculum in morâ sit, & res alioqui peritura, executione uti licere victori, Zasius putat, teste Gothofredo ad d. l. 6. §. 2. ff. de re jud. Gail. lib. 2. obs. 44. Quid si resistat debitor? Instrumen. executori publico armis uti, & auferre bona invito concessum, talis. ratio ipsa svadet, & probatur ex l. qui restituere. 68. ff. de rei vind. Coler. de proc. exec. præf. n. 24. verb. manu militari. Cumque manus militaris duplex sit, alia castrensis, alia non-castrensis: hac (ad quam manus apparitorum refertur) non sufficiente, potest etiam adhiberi manus militaris castrensis, vid. Just. Mejer. Evdoξ Justin.

Justin. decad. 3. cap. 4. th. 6. victori tamen ipsi exsequenti armis
uti non licere contra resistentem debitorem arg. l. 176 ff. de R. J.
statuit Just. Mejer Colleg. Arg. de re jud. th. 91 & Coler. de proc.
exec. part. 1. cap. 5. n. 105 imo etiam si nudis verbis resistat debitor,
modò justam resistendi causam habeat, non licere creditori infi-
stare exsecutioni censet idem Coler. d. cap. 5. n. 110.

*Exsec.
crim. cau-
sa Princi-
palis.
Ministeria-
lis.*

Executionis criminalis causa efficiens principalis est Magi-
stratus mero imperio, seu criminali jurisdictione gaudens. Res
ex prioribus clara, neque probatione indiget, argumento tamen
erit l. solent etiam. 6 pr. ff. de offic. Procons. & Leg. l. nemo 70 ff.
de R. J. Serviunt & his ministri publici. Qui, quando poena
fisco applicanda est, vel alia, non adeò infamis reum manet, &
hīc apparitorum nomine veniunt; sed quando præter eas crimi-
nalis poena imminet, speciali vocabulo *carnifices*, quibusdam in
locis *Heimburgi*, *Heimbürgen* / Carpzov. lib. 1. tit. 10. resp. 99.n.
5. 6. 7. Germannis etiam *Hencker* / *Büttel* / *Nachrichter* / nonnun-
quam *Freymanni* nominantur. Horum officio, si deficiunt,
funguntur alii. Nam *mendicantes*, & *homines viles*, & item
facinorosos, qui mortis poenam promeriti sunt, cogere Magi-
stratus potest, ut capitalis executionis onus in se recipiant. Ita-
tamen, ut exiguae conditionis hominibus quinque aurei, arg.
l. *divus Hadrianus* 6. ff. de bon. damnat. facinorosis verò pro ope-
rà vita donetur. V. Georg. Schulz *Synopsē judic. posit.* 85. fin.
Carpzov. præst. crim. part. 3. qv. 137. n. 53. 54. Apud Russos mo-
ris esse, ut absenti carnifici lanii succedant, narrat Olear. itin.
Pers. l. 3. c. 20. f. Nec habent, quod querantur isti, quos Magi-
stratus ad id officii adigit. Nulla enim ipsis inde injuria. Nam
quod vulgo odio habeantur carnifices, id verò ipsorum potius vi-
tiis, quam officiis acceptum esse ferendum, statuunt Dd. Vid.
Carpzov. Resp. lib. 8. tit. 10. resp. 102. n. 1. & 56. 57. præst. crim.
part. 3. qu. 137. n. 55. Et, quod mirere, Wenceslaus Imperator,
si fides historico habenda, adsiduum penes secarnificem habuit,
quem familiariter compatrem salutabat, quod filium ejus de sa-
cro fonte levaverat. Vide Joh. Cluver. in vita Wenceslai Imp.
referentem hāc ex Chronic. Belg. Cæterū habeat sibi consor-
tium hoc tyraannus. Utut enim de jure infames non habeantur
carni-

carnifices, opinio tamen hominum, etiam prudentiorum, satis esse putat, si abstineamus ab eorum commercio, testante Carpzov. *præt. crim. part. 3. qv. 137. n. 58.* & ipsa consuetudine. neque verò eo nomine magis frontem contrahant isti homines, queis Magistratus carnificinam injungit: cum vel ante, quām hanc ipartam subierint, hominum, certè cultiorum, consortio valedicere debeant. Id quod conditio ipsorum loquitur. *Instrumenta*, *Instrumenta* quæ criminali executioni inserviunt, quem nosse juvat curatiū, *talis*. *is adeat, si libet, eum, quem hæc talia versare constat.*

Th. V.

FINIS.

Finis executionis vel generalis est, vel specialis. Generalis finis hic est: ut *ne sententiam frustrâ ferat judex*. Nam sententia ipsa per se nihil utilitatis habet, nisi executio ejus sequatur, Carpzov. *Resp. lib. 2. tit. 9. resp. 93. n. 12.* *Et iurisfr. for. part. 1. conf. 32. d. 1. n. 1.* frustrâ ferri, ait, sententiam, si non executioni mandetur, & similem esse campanæ absque pistillo. Et quæ legum erit utilitas, si in literis duntaxat consistant, non etiam per ipsa facta atque opera subditis utilitatem de se præbeant? *Nov. 161. pr.* Et hic finis utrique executioni, tam civili, quām criminali communis est. In specie verò civilis executionis finis est: ut *finis 3.* illa, que sententia victori tribuit, in ejus veniant potestatem; & *finis 4.* hinc victor habeat, quod ipsi debetur, & judici desinat esse molestus. *l. 3. 8. Et t. C. b. t. O. Cam. p. 3. tit. 48.*

Criminalis executionis finis specialis est: ut *ne delicta maneat impunita*; ejus enim rei interest reipublicæ, *l. si operis. 14.* *finis 3.* *C. de pœnis. l. ita vulneratus. 51. §. ult. vers. quod si quis. ff. ad finis 4.* *L. Aquil.* Quoniam autem finis est in intentione, quod effectus in executione, vid. plura *tb. de effec.*

Th. VI.

SUBJECTUM.

De subjecto agente, sc. Magistratu, &c. hactenus. Nunc ad subjectum patiens, quod in genere complectitur omnes omnino homines, qui civilis actionis casum sustinent. Illi enim, qui

*Ex see. ci-
vil. subje-
ctum in
genere.*

Per Jœn.

Per apotiv.

Item obtinent, executioni minimè sunt obnoxii. Ait quidem Monachus *præt. judic. part. 18. cap. 4. n. 2.* in absolutum interdum dari executionem. Verum id in sensu diviso capiendum est: ut in absolutum, non quia absolutus est, sed quia contumax fuit, & ita expensas solvere tenetur, executione cadere intelligatur. Ideoque stat canon iste, nulla movente eum exceptione: quicunque à judicio vicit abit, is eadem,

in specie

Per deov.

tionis civilis subiectum in specie eos continet, qui vel reali, vel personali actione victi sunt: hæc enim summa actionum divisione est, §. i. *Inst. de action.* Hujusque generis non tantum illi sunt, quibuscum obligatio inita est, sed & qui in eorum locum succedunt, heredes, Carpzov. *jurispr. for. part. 1. const. 32. def. 24. n. 1.* est enim hereditas nihil aliud, quam successio in universum ius (tam passivum, quam activum) quod defunctus habuit, *l. nihil est. 24 ff. de V. S. l. hereditas. 61 ff. de R. J.* Alia ratio est successoris singularis: adversus hunc executione fieri non potest, arg. *l. 4. C. de rer. permul. præscr. verb. Coler. de proc. exec. part. 2. c. 3. n. 432.* Carpzov. *jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 24. n. 4.* Insigniuntur autem hi, contra quos executione nobis competit, pro causarum varietate, nominibus variis. Modò audiunt mutuarii, modò mutuantes, modò promissores, modò stipulatores, modò emptores, modò venditores, modò heredes, modò legatarii, modò nudi possessores. Imò infinitis aliis titulis venire eos posse constat. Nec refert, an quis pro se obligatus sit, an pro alio. Fidejussori enim aquæ, ac principali debitori executionem nocere, ex tit. *Inst. ff. & C. de fidejus. satis superque liquet: in specie l. fin. C de usur. rei jud.* At verò an absque citatione, & novo processu, in fidejussorem detur executione, controversum esse interpretibus, docet Monachus *præt. judic. part. 18. cap. 4. n. 8.* Bartolum tamen in *l. 1. ff. jud. solvi.* distinguenter inter fidejussorem ex contractu, & eum, qui promisit judicatum solvi, plerosque interpretes componere. Verba Bartoli ad dictum *l. 1. n. 1. 2.* sic habent: *teneo hoc pro vero, quod in fidejussorem contractus non fit executione sine novo processu.* Sed an in fidejussorem judicii, de hoc sunt opiniones: & ideo hoc revoco in dubium. Et quero,

quero, an in fidejussorem judicatum solvi fiat executio? *Glossa*, dicit quod sic in l. ult. de usur. reijud. Ethanc Glossæ sententiam & ratione, & legibus firmat idem Bartolus. Add. Just. Mejer. Colleg. Argent. de rejud. tb 93. n. 5. Corvin. Digest. per aphorism. explic. tit. de rejud. Myns. 4. ob. 96. Asin. de Execut. c. 2. p. 558. ampl. 22. Cæterum quando Bartolus adserit fidejussorem, contractus sine novô processu non esse excutiendum, de eo fidejussore illum loqui, qui beneficiis omnibus non renunciaverit, putat Monachus loco cit.

Contra illi, qui neque pro se, neque pro aliis obligati sunt, neque ullâ aliâ de causâ tenentur, executione coerceri minimè geutium possunt. Quo fundamento jacto, non est quod multum laboremus cum Doctoribus in solvenda quæstione: An Procuratores, Tutores, Syndici quâ tales, alieno nomine agentes, & in judicio victi, executionis actum incurant? Facile enim respondetur, cessare contra hos executionem: quia neque pro se, neque pro aliis obligati, neque ullâ aliâ de causâ tenentur, arg. l. sape 63. ff. de rejud. & Carpzov. jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 14 n. 5. non valet, inquit, *executio facta in bonis ejus, cuius nomine non fuit contractum*. Cæterum quod Procurator, l. i. C. de sent. & interloc. omn. jud. Tutor, arg. l. si non subscripti sit. 15. C. de administ. tut. vel cur. V. Carpzov. Rep. lib. 4. t. 1. resp. 7. n. 1. vel Syndicus executori cedere cogantur, istud verò longè diversa svadet ratio. His enim legibus, nullo respectu habito Tutoris, Procuratoris, Syndici, sola proprio nomine obligati persona ponderatur. Contra tertium item possessorem (modò ne post citationem, vel lite pendente, rem acceperit, l. ult. C. de litig. quia tunc in fraudem creditorum facta præsumitur alienatio, quam Pauliana actio irritam facit, §. item. si quis. 6. Inst. de action. l. ait Prætor. 10. ff. que in fraud. cred.) non datur executio, l. 2. C. quib. res jud. non nocet. Contra tertium etiam in instrumento, paratam habente executionem, non nominatum denegari executionem, cum Matth. Coler. de proc. execut. part. 2. cap. 3 n. 253. & aliis multis Jctis, quorum pars à Colero quoque laudata, statuit Carpzov. Rep. lib. 2. t. 10. resp. 09. n. 19. quando *privilegium, inquiens, executionis conceditur instrumento, istud non*

non aliter indultum intelligitur, quam si producatur adversus eos, eorumque heredes, quibuscum confectum est. Aliter rem habere in filio litigante cum consensu Patris: nam contra hunc latæ in filium sententia exsecutionem, peculioretus tamen intentari jure merito posse, censem Monach. pract. jud. part. 18. cap. 4. n. 12. De cætero inter eos, contra quos exsecutio nihil agit, pupillos indefensos retero cum Carpzov. jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 13 n. 3. ubi restituenda esse bona pupillis, in quæ facta talis exsecutio est, contra Anton. Fabrum Cod. lib. 8. tit. 17. d. 31. autem. Omnia maximè hoc pertinent, qui gaudent beneficio competentiæ, quos nominare hic supersedeo, quia passim obvii sunt. Vid. in primis Schneidvv. ad §. sunt præterea Inst. de action. Coler. de proc. exec. part. 2. cap. 3. n. 112. seqq. Monach. pract. jud. part. 18. cap. 4. n. 13. seqq. Carpzov. jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 15. seqq. Hoc moneo, sàpè omitti hic Ecclesiæ mentiones, & Rerumpublicarum. Nam & Ecclesiam, Monasteria item, & Hospitalia beneficio hoc frui, ita, ut relinquatur illis, quò cultus divinus propagari, Ministri Ecclesiæ, egeni, & ægroti ali possint, docet Mevius discub. levam. inop. debitor. cap. 4. sect. 7. n. 34. Idque civitati etiam, reipublicæ, & universitati competere cum Manzio in patroc. debit. decad. 3. qv. 4. n. 139. 140. statuit idem Mevius d. sect. 7. n. 37. Nam, ait, ut, qui solvendo non sunt, vitâ tamen non luunt miseriam, sic nec universitates, quarum in dissipatione mors est, ad eam per debitorum molem adiungenda. Ante omnia verò circa hanc materiem, de competentiæ privilegio, notanda puto, quæ sequuntur.

I. Privilgiatus, utens privilegio deductionis non liberatur; sed cautio ab eo exponenda, quod, si ad meliorem fortunam pervenerit, etiam quod minus persolvit, hoc restituere proceret, fac. l. un. §. cum autem. 7. C. de rei uxori. aet. sicuti bonis cedens, nisi solidum creditor receperit, non est liberatus, l. si debitoris. 7. ff. de cœf. honor. l. i. C. qui bon. ced. poss. Vid. Bachov. in. §. sunt præterea Inst. de action. & Schneidvv. adeundem §. n. ii. eleganter distinguit hac in re, inquiens: exceptionem hanc ne quis teneatur, nisi in quantum facere potest, respectu solutionis, & exactionis esse dilatoriam, & temporalem: respectu processus esse peremptoriam.

II. Privi-

II. Privilegiato non competit beneficium deductionis, si creditor petens executionem casu, quod solidum non consequetur, ipsemet laboratus esset inopia, Coler. de proc. exec. part. 2. cap. 3. n. 120. Carpzov. jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 15. n. ult.

III. Si debitor privilegiatus; (sive Artifex ille sit, sive Miles, sive Doctor) ita profecerit in arte suâ, ut ex opere artis exhiberi commode possit, cessat competentiae beneficium, post Angelum in §. item si de dote. Inst. de action n. 3. Matth. Coler. d. cap. 3. n. 125. idque rationi non repugnat: nam sublatâ beneficij causâ, quidni removeatur etiam ipsum beneficium? Ex qua ratione fluunt quoque l. Geometra 22. §. 1. l. 6. §. 13. ff. de excessat. V. Matth. Stephani Dialect. jur. lib. 2. L. 18. n. 9.

IV. Competentiae beneficium personam privilegiatam non egreditur: ideoque post obitum debitoris, in id, quod ex beneficio relictum est, urgetur executio à creditore; nec succurritur heredibus defuncti per hoc privilegium, l. maritum 12. & seq. ff. solut: matrim. Sed ad viventis debitoris liberos, & familiam beneficium pertinere, (si liberi se ipsos exhibere non possunt) cum Carpzov. jurispr. for. part. 1. c. 32. def. 17. adfirmare non erubesco, ut ut ab hac opinione abeat Matth. Coler. de process. exec. part. 2. cap. 3. n. 119. eoque nomine carpat Welenbec. part. 1. const. 50. n. 22. itidem nobiscum facientem.

V. Personæ privilegiatae, etiam Nobiles, & Illustres, jacturam privilegii faciunt, si culpâ suâ, & fraude facultatibus labuntur, fac. l. un. §. cum autem. 7. C. de rei uxori. act. Carpzov. jurispr. for. part. 2. const. 22. d. 18. n. 10. seqq. quem sequitur Mevio discub. levam. inop. debit. cap. 5. n. 108. Ratio est, quia privilegia deceptis non decipientibus prosunt, l. 2. §. 3. ff. ad Sctum Vellej. l. 110. §. fn. ff. de R. f. Quid igitur, si debitor partim culpâ suâ, partim casu ad inopiam pervenerit, ita ut casum culpa non præcesserit, an & hic privilegio cadit? Nego eum amittere exceptionem competentiae, præente Mevio loc. cit. n. 116. & seqq. & aliis ibi laudatis J. Ctis.

VI. Debitores huic privilegio suo renunciare non possunt per pactum, l. alia. 14. §. 1. ff. solut matrim. Coler. de process. exec. part. 2. cap. 3. n. 121. At hæc ad eas tantummodo attinent personas

privilegiatas, quæ sibi sanguine & adfinitate conjunctæ, & quæ reverentiam quandam, quæ parentes inter & liberos intercedere solet, sibi invicem debent. & ita dict. l. 14. §. 1. exponit Carpzov jurispr. for. part. 1. c. 32. d. 19. n. ult. & ipse Colerus d. cap. 3. n. 123. videtur ejus esse sententia, quando inquit: *circa alias personas, quas sanguinis, & reverentiae natione non sunt conjunctæ, puta in socio, donatore, & similibus contrarium tenet.* Detius: nec improbat hanc Deccii opinionem. Planè contrarium hac in re statuit Speculat. lib. 2. partic. 2. de renunciat. & conclus. n. 28. absolute affirmans, quod huic competentia beneficio renunciari possit; Sed ad l. un. §. cum autem. 7. C. de rei uxor. action. quā nisi videtur Durandus, respondet Bacchov. ad §. item si de dote 37. n. 1. Inst. de action.

VII. Inter Doctores, ratione hujus quidem beneficij competentia, non solum referuntur, qui promoti, & recepti publicè in Academiis, & in matriculam facultatis alicujus inscripti sunt; sed & illi, quibus Doctoratus gradus rescripto, & bullâ datum est. Nec adduci possum, ut contrariae faveam sententia, quæ cum Guid. Papà decis. quæst. 68. n. 3. & qv. 388. Matth. Colero de proc. exec. part. 2. cap. 3. n. 129. & aliis placet. Nam rationes, quibus satis munitos esse putant, tantum non omnes petunt id, quod est in principio. Ad Doctorem, inquit, credendum requiritur, 1. ut legitimè examinetur, & approberur. 2. ut promotores sub juramento suo deponant, eum sufficientem esse. 3. ut crocus pileus, in signum splendoris, imponatur ejus capit. 4. ut ei tradatur cathedra pro investiturâ possessionis. 5. ut liber tanquam materia Doctorandi, (liceat cum illis ita loqui) in quæ exerceat, aperiatur. quæ cum in bullatis deficiant, non esse eos veros Doctores, credunt. Enimvero respondeo: si Imperator, (qui dignitatum omnium fons est, & auctor, Georg. Mund. à Rodach de Comit. Palatin. Cæsar. cap. 1. n. 1. seqq. Reinking de reg. secul. S. I. R. lib. 1. claf. 4. cap. 16. n. 2. seqq.) illis, queis honores conferendi exercitium committit, certas solemnitates, quas sequantur, præscribat, utique aliis eas (quippè ad substantiam rei non pertinentes) remitti ab eodem posse; ita, ut haec res à merâ Imperatoris voluntate pendeat. Quis ergo bullatis Doctoribus simul utaliis non tribuet privilegium deductionis?

tanè

Sanè eos , qui intra privatos parietes honores capiunt , non minimam ruditatis suspicionem præbere , neque ego negare ausim . Inde tamen non sequitur , quod privilegiorum incapaces sunt ; in primis illorum , quæ ab Academiarum detrimento longè absunt . Nisi fortè quot unā manu largitur Imperator , alterā ipsum recipere velle , absurdè quis crediderit ; nescius , quām id Principis liberalitate indignum sit , arg . l. un . C. si liberal . imper . soc . sine hered . dec . lib . 10 . Et ne putes , me , ab aliorum consensu destitui , adeas velim Georg . Mundium à Rodach de Comit . Palatin . Cæsar . cap . 3 . n . 233 . qui , ab Imperatore immediate creatos Doctores alii , etiam in Academiis promotis , præferri adserit cum Decio in l . cum quid . n . 11 . ff . si cert . pet . & Peregrin . cons 84 . n . 7 . vol . 1 . quamvis ego id non temerè dixerim , nisi Imperator præferri eos debere in specie voluerit . Interim idem Mundius dict . l . n . 228 . à Comitibus Palatinis creatos , ex paritate potestatis , & auctoritatis Cæsareae , æquè ac si à Cæsaribus ipsis aut Academiis promoti essent , omnibus & singulis doctorum privilegiis , & dignitatibus gaudere autumat . Accedit Matth . Stephani lib . 2 . de juris dict . part . 1 . cap . 6 . memb . 1 . n . 74 . seqq . Arum disc . ad Aur . Bull . 1 . thes . 5 . & ali J Cti clarissimi . In primis Limnæus de jure publ . lib . 8 . cap . 8 . n . 14 . duo perpendi cupit , quibus tota terminetur controversia . Primum , inquit , potestatem Imperatoris , alterum ejus concernit voluntatem . Id quod cum iis , quæ modò diximus convenit .

Subjectum execusionis criminalis (α) iis absolvitur per Crim . ex sonis , quarum bona , absque infamiâ , in poenam solvuntur fisco , sec . subje (β) iis , quarum corpus solum adfligitur , (γ) iis , quarum fama detrahitur , (δ) iis , quarum & corpori , & famæ poena imminet , (ε) iis , quarum corpus , fama , & bona simul adficuntur .

Primi generis ii sunt , (loquor de jure Justinianeo) quorum bona fisco solvuntur , absque infamiâ . Exemplo sunt , qui injuriarum actione criminaliter conventi vincuntur , § . 8 . & 10 . Inst . de injur . l . lex Cornelias . ff . de injur . Carpzov . Juriffr . for . p . 4 . const . 42 . d . 1 . n . 3 . Sed cum reservatione honoris . Alioqui damnati injuriarum utique infames sunt , § . ex quibus . 2 . Inst . de pœn . temer . lit . l . 1 . ff . de his qui not . infam . quamvis etiam , cum

per procuratorem causæ aguntur, infamia non laboreant, qui injuriarum damnantur per l. furti. 6. §. si quis alieno. fin. ff. de his qui not. infam. Borcholt ad tit. Inst. de pœna tem. litig. n. 5. Haut incommodè queritur hic, anne heres ejus, cui pœna pecuniaria ex actione criminali imposta est, onerari executione debeat? Resp. Si post sententiam definitivam, rei judicatae viribus firmata, decedat reus, non denegandam in heredes executionem, fin minus, pœnam cum delicti auctore extingui; secutus communem Doctorum sententiam. Carpzov. Resp. lib. 3. tit. 4. resp. 38. n. 18. seqq.

Secundi generis sunt, quorum corpus affligitur solum. E. g. Rei carceris nullam præferentis infamiam: quia pœna carceris, uti & relegationis, per se non infamat, Speckh c. 1. q. 15.

Tertii generis, quorum famæ detrahitur, exempla videbis l. 1. ff. de his qui not. infam. ubi notandum, quod bona fama, modò opponatur infamiae juris, modò infamiae facti, modò levis notæ maculæ, l. 27. C. de inoff. testam.

Quarti generis sunt illi, qui virgis cœdi merent, vel capitibus rei sunt, (quorum tamen bona post mortem non publicantur) vel urbe pellendi cum infamia, & multi alii.

Quinti generis sunt Majestatis rei, quippe qui non solum vitam amittunt, & famam, sed & bona omnia, l. quisquis. 5. C. ad L. Jul. Maj. cum grano salis tamen id capias velim: quia ex confiscatione bonorum mariti deducitur dos & omne æs alienum, Anton. Fab. Cod. lib. 9. tit. 6. d. 3. Carpzov. jurifpr. for. part. 4. c. 1. d. 16. Bona enim intelliguntur cuiusque, qua deducto ære, alieno superlunt, l. subsignatum. 39. §. bona. ff. d. V. S. Hodiè, inquam, tantum Majestatis rei hujus generis sunt N. 134. cap. 13. fin. Olim etiam peculatus l. 20. ff. de. accus. & inscr. & de hoc veteri jure sermonem est puto Carpzov. Resp. lib. 3. tit. 4. resp. 38. quando huc etiam hæreos, & repetundarum crimen refert, legibus in id citatis. Idq; eò magis, quoniam in suâ, jurifpr. for. part. 3. conf. 20. d. 23. n. 1. exepresse dicit, in nullo alio, quam læsa Majestatis criminè hodiè confiscationem bonorum sibi locum vendicare: & in pract. crim. part. 3 q. 135. n. 27. fateor equidem, ait, *banc rem adeò expeditam non esse; atramen exactius mibi*

mihi eam inspicienti, assertio Dan. Moller. verissima videtur, præter delictum sc. Læsa Majestatis, quô etiam perduellionem, seu criminis lœsa Majestatis speciem, comprehendendo, nullum bodiè dari casum, ubi in imperio Rom. Germ. confiscatio, quæ proprietas his est (ab hac enim casus bonorum vacantium excluditur) locum habeat. Quod ut statuam, movent me verba generalia Anth. bona damnatorum. C. de bon. proscr. & damnat. Sc. Hæc de subjecto, Nunc ad objectum.

Th. VII.

OBJECTUM.

Objectum executionis in genere continet bona condemnata, quibus per sententiam victori satisfacere debitor jussus est, secundum executionis arg. l. i. C. quando ex fact. i. ut. Vocantur bona hæc: l. 15. ff. de re obj. jud. pignora: intellige judicialia. Cumque in specie tam immobilea, quam mobilia, tam iura, quam corpora, bonorum venient nomine, l. 21. 49. ff. de V. S. hæc omnia quoque executio ne peti possunt, d. l. 15. ff. de re jud. Sed cave credas, bona hic eo tantum sensu accipienda esse, quo omnibus oneribus libera sunt, quemadmodum ea l. sub signatum 39. §. 1. & l. propriæ bona. 83. ff. de V. S. definit. Licet enim victor causa in eam bonorum portionem, quæ oneribus subest, immittendus non sit (cum ita nulli usui foret executio) attamen habet, quod agat executor in iis bonorum particulis, quæ ab oneribus immunes sunt, d. l. 15. §. 5. ff. de re jud. Quod si universitas aliqua, vel civitas excutienda, veniat, id, quod commune est, capiatur, l. i. §. 2. l. 8. ff. quod cuiuscunq; univers. nom. Si nihil commune est, singuli conferre co-guntur, ut ex collectâ pecunia satisfiat creditoribus: ne cogatur partem petere à singulis, qui non singulorum, sed universitatis est creditor. l. 7. §. 1. eod. V. Colleg. Argent. de re jud. tb. 94. Diximus suprà, contra Patrem latæ in filium sententiaz executio nem dari, nimirum peculiorenus, si quidem litigaverit filius cum consensu Patris, secundum Monach. præt. judic. part. 18. cap. 4. n. 12. at verò id procul dubio de peculio protectione intelligendum est: nam in reliquis familiis plenum habent dominium, ex-

cepto adventitio, in quō debetur ususfructus Parenti, l. 1. §. ult. l. 2. ad SC. Maced. l. 6. pr. C. de bon. quæ lib. §. i. Inst.. per quas pers. cuiq; adquir. ideoque non erit æquitati conveniens, ut ratione horum (puta castrensis, quasi castrensis, & adventitii peculi) patri, molestus sit executor: sed filius ipse excutiendus, modo ne exsecutio, quæ fit in adventitiis bonis, patri, ratione ususfructus, præjudicium pariat. Vid. omnino Schneidv. ad §. actiones. autem. n. 14. 20. Inst. de action. quod si Pater castrensis, & quasi castentia bona filii possideat, eum prius conveniendum de iis esse puto, ut ne frustra introducta videatur actio de peculio. De cætero non depositæ, non pupillari pecuniæ in arcam depositæ, ad prædiorum comparationem, parcendum est, d. l. 15. §. ult. ff. de re jud.

Per apov.

Non tamen desunt bona, quæ jure subtrahuntur exsecutio- ni. Et in his quædam eximuntur ob bonum publicum, quædam ob bonum privatum, quædam ob præjudicium tertii.

Ob bonum publicum: quorum conservatio immediate, & per se ad commodum reipublicæ pertinet. Suntq;

I. Bona Ecclesiastica, & Clericorum: ita, ut de fructibus eorum tantum fiat satis creditoribus, c. pervenit. extr. de fidejus. Monach. præt. jud. p. 18. c. 5. n. 7.

II. Arma, & stipendia militum & equi, quibus pro defensione Reip. utuntur, l. 4. C. de exec. rei jud. Coler. de processu exec. part. 2. cap. 3. n. 126. ita, ut ne in subsidium quidem capi possint, quia publica privatis præferenda, Cujac. paratil. C. diet. tit. quamvis contrarium credat Mejer. Colleg. Argent. de ne jud. th. 95. n. 2. planè quando præter ea, quæ ad defensionem Reip. necessaria sunt arma, alia possidet miles, jure exigi arma, concedo: quò tendere videtur limitatio, quam hac in re adhibet Coler. de processu exec. part. 2. cap. 3. n. 140.

III. Instrumenta rustica, qualia sunt aratra, equi, vel boves aratorii, & reliqua ad culturam agri necessaria, l. 7. 8. C. que res pign. oblig. poss. ita, ut in subsidium capi possint. Rationem dubitandi, quin in subsidium capi possint, nullam video. Nam si in subsidium demum venitur ad instrumenta rustica, (quemadmodum ex th. seq. constabit) sequitur, nulla alia bona super-

superesse agricolæ; & hinc neque agrum, cui inserviant instrumenta: jam si nulli usui sunt, quâ quæso! ratione adfirmare potero, per exactionem imminui bonum publicum, vel, uti verbis legis habent, retardari tributorum illationem? imò ex ipsis d. l.7. C. quæ rei pignor. obl. poß. verbis: de possessionibus non abstrahantur, tantum non contrarium colligitur. Siquidem non possum dicere, abstrahi instrumenta à possessionibus, quæ jam separata à negotiis rusticis, non sunt ampli⁹ rustica, vel in ruricola potestate. Non moveor igitur à Menoch. de arbitr. jud. cap. 378. Mejer. Colleg. Argent. de re jud. th. 95. & aliis à Mejero laudatis JCTis, qui contrariae inherentes opinioni, bonum publicum toties ingeminant: ejus tamen rei, si in subsidium cipientur instrumenta, rustica, nullum periculum est. Facit nobiscum Anton. Fab. Cod. lib. 8. tit. 6 d. 16. n. 2. Quin possint, ait, in subsidium obligari, & capi, non ambigitur, arg. l. 2. quand. fisc. vel priv. Dion. Gothofr. cum Accurs. ad d. l. 7. C. quæ res pign. obl. poß. Choppino 1. de privileg. rustic. 7. n. ult. Colerus de proc. execut. part. 2. cap. 3. n. 180. seqq. Carpzov. juriffr. for. part. 1. const. 32. d. 10. n. ult.

IV. Res, quas secum ferunt Legati, dum funguntur Legatione publica: remittuntur enim creditores ad locum domicilli Legatorum, etiam si hi in locis peregrinis, quod missi sunt, contraxerint, sed antè legationem tamen, l. 2. §. 3. 4. l. si quis. 8. ff. de judic. nam si tempore legationis contrahant, vel delinquent, utique tenentur, d. l. 2. §. 4. vers. dummodo ante. & l. non alias 24. ff. de judic. V. Coler. de proc. execut. part. 2. cap. 3. n. 183. seqq. Berlich, part. 1. conclus. 53. n. 8. Monachus præt. judic. part. 18. cap. 5. n. 11. 12. Sic res quoque quas secum portant illi, qui testimonii causâ evocati sunt, vel judicandi ergo, vel justificandæ appellationis gratiâ arcessiti, ab executione tutæ sunt: dummodò in loco peregrino ubi exiguntur, non (sive ante, sive in peregrinatione ipsâ) celebratus sit contractus, d. l. §. 3 & 4. ff. de judic. Coler. dict. cap. 3. n. 189.

Ob bonum privatum: quorum conservatio primariò ad privatorum commodum spectat. Licet secundariò etiam in Reip. emolumentum vergat, Suntque

L. Vestis debitoris quotidiana, & ad velandam auditatem necessaria-

necessaria, l. 6. in fin. pr. C. de his qui ad Eccl. Vid. Coll. Argent. de re jud. tb. 95. addit.

II. Doctorum, & Studiosorum libri, & stipendia, arg. l. stipendia. 4. C. de exec. reijud. l. commodis. 40. ff. de rejud. l. spem eorum. 5. que res pign. obl. posse hac lege, si alia bona adsint, in quibus exsecutio fieri possit, & Doctores, & Studiosi libris suis & stipendiis recte utantur: sin minus, ab executione non erunt aliena stipendia & libri studentium, Coler. de proc. exec. part. 2. cap. 3. n. 138. seqq.

III. Bona dotalia, l. ob maritorum. 2. C. ne uxor pro marito. idque sive maritus conveniatur de dote, sive uxor, constante matrimonio, ita, ut ne in usum fructum quidem exsecutio queat fieri, quia maritus ex fructu dotis, conjugem liberos, & familiam aere tenet, l. quod in uxor. 13. C. de neg. gestis. l. pro oneribus. 20. C. de jure dotum. Schneidvv. ad §. item si quis in fraud. n. 33 Inst. de action. Just. Mejer. Colleg. Argent. de re jud. th. 95.

Ob præjudicium tertii eximuntur.

I. Bona feudalia, ita, ut in feudum ipsum non concedatur exsecutio, Rosenthal synops. jur. feud. c. 9. conclus. 16. num. 3. Schroter. arbor. feud. disp. ult. tb. 21. Coler. de process. exec. part. 2. cap. 3. num. 272. ratio est, ne quid in præjudicium Domini agatur, fac. Struvius Syntagm. jur. feud. cap. 14. aph. 31. num. 2. magna enim inter homines differentia est, circa industriam, & servitia, arg. l. inter artifices. 31. ff. de solut. §. 2. Inst. de societ. Rosenthal. d. concl. 16. num. 5. Attamen in fructus fieri potest exsecutio, illi enim allodialium numero sunt, Coler. d. part. 2. cap. 3. num. 276. Rosenthal. dict. concl. 16. num. 7 & in subsidium quidem, si vasallus nulla alia bona habet: ita, ut creditor in bona feudalia immislus percipiat fructus, donec vasallus vivit, aut feudum non reddit ad Dominum, Schroter. arb. feudal. d. disp. ult. tb. 21. Schrad. §. feud. 2. in fin. Quo casu existente, vasallus debitor non minus Domino suo servitia præstare debet, Struv. d. aph. 32. num. 3. Schroter l. cit. Si tamen inopia laboreti vasallus, (id quod plerumque eveniet) ejus creditor ex fructibus servitia debet, Carpzov. jurispr. for. part. 2. conf. 25. d. 5. Quod si feudum cum consensu eorum, quorum interest, oppignoratum sit, vel si Dominus in exsecu-

secutionem consentiat , etiam in ipsum feudum exsecutio admittitur, Monach. *præt. judic. part. 18. cap. 5. num. 8. fin.* truv. *Syntagma. jur. feud. aph. 32.* qui simul docet, exsecutionem in ipsum feudum fieri posse , si Dominus feudi sit judex ordinarius , & in sententia non restringat exsecutionem ad fructus feudales ; consentit Carpzov. *jurispr. for. part. 1. const. 32. def. 25.* & alii. Sed & iis casibus, quibus feudum sine consensu Domini in extraneum alienari potest, (puta si merè hereditarium est, vel ex consuetudine aut pacto alienabile) non tantum in fructus , sed ipsum jus feudale, utile scilicet Dominium, exsecutio, pro ære alieno vasalli fieri potest, Rösenthal. *synops. jur. feud. c. 9. concl. 16. num. 14.*

II. Hereditas jacens. De hac ita Coler. *de proc. exsec. part. 2. cap. 3. num. 373.* Hereditas jacens privilegiata est, ut in illam neque ex vi judicati, neque ex vi parti cum defuncto celebrati, neque ex vi statuti manus injectio , vel parata exsecutio locum habeat. Ratio est, ne quid in præjudicium futuri heredis eveniat. cum & nulla sit persona quæ eo nomine possit interpellari, arg. l. 24. §. 1. sol. mat. juncta l. 1. pr. de R. D. At quomodo tribus temporibus secundum jus civile hereditas jacens dicatur, vide apud eundem d. *cap. 3. num. 378. seqq.*

III. Res litigiosæ, Carpzov *jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 22.* Ratio hæc est, quia res litigiosa alienari non potest: rationis ratio, ne quid fiat in præjudicium futuri Domini, vel possessoris.

Executionis criminalis objectum sunt: I. Bona, quæ fisco per sententiam adsignantur. Non tamen ea semper omnia (ceu per quandam publicationem) petuntur exsecutione; quemadmodum in læsæ Majestatis criminе fieri consuevit, l. quisquis. § 1. C. ad L. Jul. Majest. uti modò perspeximus: sed ut plurimum eorum pars tantum. II. Fama hominis. III. Corpus humanum in se consideratum. Idque modò totum , modo pars: veluti ex personali objecto liquet. Quod si ægrotum corpus sit, non quidem tollitur, sed differtur pœna corporis afflictiva , usque dum convaluerit: excipitur capitinis pœna, quæ ob morbum nullam moram patitur, quin potius acceleratur , ne per mortem rei exsecutio sententia planè irrita fiat, Carpzov. *præt. crim. part. 3. qu. 37. n. 31. seqq.*

*Crimin. ex.
sec. obje-
ctum.*

F O R M A.

Ordinem, seu actum executionis civilis ipsum, distinctè sa-
tis ostendit l. 15. ff. de re jud. Prius pignora capi jubet, deinde
ea distrahi, vel in creditum retineri. Processus hic est. Capienda
res I. mobiles, & in his (α.) parata pecunia, Coler. de proceß.
execut. part. 3. cap. 9. num. 21. Carpzov. jurispr. for. part. 1. conf.
32. d. 10. num. 4. ne unum pro alio creditor invitus accipere cogar-
tur, l. 2. §. 2. fin. ff. de reb. cred. Non exstante pecuniâ, ordo tangit
cas res mobiles, quæ commodiùs distrahi possunt, in quibus (β)
mediocriter pretiosa, (γ) vasa aurea & argentea, aliaque supel-
lex pretiosa occurrit, (δ) lecti, vestes (puta non abolutè necessa-
riæ, nam necessaria vestimenta omnino libera sunt ab execu-
tione, quatenus thesi proximâ id probatum dedimus) instrumenta,
frumentum, & animalia, Carpzov. dict. def. 10. num. 3. Eximenda
tamen omnino ab hac classe primâ, 1. animalia colendo agro in-
servientia, 2. frumentum eidem usui destinatum, & vulgo Saat-
forn appellatum, 3. instrumenta tam rustica, quam Domestica ad
usum quotidianum necessaria. Hæc enim ultimo omnium, &
in subsidiū demum exigenda esse testatur Coler. de proceß. ex-
ecut. part. 2. cap. 3. num. 180. seq. Carpzov. jurispr. for. part. 1.
conf. 32. d. 10. num. ult. & dixi hac de re thesi proximâ præced. II.
Immobiles. Sed & in has ipsas non sine boni viri judicio, &
absque ordine, quem æquitas desiderat, involandum esse execu-
toribus, tradit Carpzov. d. conf. 32. def. 11. III. Nomina, §. 2. §.
d. 1. à divo Pio. 15. ff. de rejud. l. 5 C. de execut. rei jud. vocantur
hæc etiam jura d. l. 15. §. 2. hic activa intelligi, nemo facile nega-
bit. Cæterum non servatur semper ordo hic. Carpzov. jurispr.
for. part. 1. conf. 32. d. 12. Audiendus, inquit, debtor est, si execu-
tionem potius in nomina certa & liquida, quam bona immobilia
fieri velit. Et def. seq. num. 1. cum Colero de proceß. execut. part.
3. cap. 9. num. 28. speciale, ait, hoc est in pupillis & minoribus, ut,
si contra eos executio intentetur, prius nomina, jura, & actiones,
quam bona immobilia pignori capiantur, Imagis §. §. non pas-
sim. de reb. eor. qui substitut. At quæris, quò modè petendum no-
men

19.

men sit? Ad l. 15 §. 10. ff. de re jud. & omnis tibi tantum non adime-
tur dubitandi causa. Dion. Gothofr. ad h. §. ita concludit: possum
igitur (singit judicem) vel exigere debitum, vel vendere, vel ipsis
creditoribus addicere. Sed haec ita habent, si debitoris debitor
confitetur debitum, aut legitimis exceptionibus destituitur. Si
negat, & justis exceptionibus nititur, non tenetur quidquam sol-
vere ante causæ cognitionem. Hoc casu posito; si creditori cre-
ditoris nomen oppignoratum est, datur ipsi utilis actio contra
debitorem debitoris, l. 4. C. quæ res pignor. oblig. quod si credito-
ris creditori non sit oppignoratum nomen, proprio debitori tan-
tum actio competit, arg. l. à divo Pio. 15 §. si rerum. fin. ff. de re jud.
Interim arrestum decernitur, & debitoris debitori omni solutione
interdicitur, donec creditoris creditori planè satisfactum, Mevius
tract. posthumo ad const. Brem. von Wücherlichen contracten, part.
2. cap. 7. §. ult. Interim circa exactionem nominum notandum
quoque est, fiscum etiam ante tempus, seu ante, quam dies cedit,
exigere inopis suidebitoris debitorem posse, l. I. C. de cond. ex lege.
Dion. Gothofr. hic. Quid igitur, si ordine hoc (quem inverti
quoque à creditoribus, quibus plura simul bona oppignorata sunt
aliquò modò posse, ex l. 8. ff. de distr. pign. perhibet Carpzov. ju-
rispr. for. part. i. const. 32. d. 8. Hartm. Pistor. lib. 3. quest. 12. num. 7.
eumque subjectum esse præcipue consuetudini loci, & statutis,
tradit cum aliis Monach. pract. jud. part. 18. cap. 4. num. 5.) capta
sit res? Vel viatori eam tradi, vel adservari ab officialibus, vel
apud sequestrem deponi, docet lust. Meier. colleg. Argent. de re
jud. th. 96. fin. Quorum unò factò (si non est parata pecunia,
vel ejusmodi res, quæ distractione non indiget) potest creditor,
si vult, bona in solutum accipere, vel tamdiu frui pignore, do-
nec ipsi satisfactum est, arg. l. ult. §. i. h. v. observari, de quibus inter
creditorum & debitorem conventum est. C. de jure dom. impetr.
c. cum contra. 6. extr. de pignor. Carpzov. jurispr. for. part. i. const.
32. d. 33. qui expresse adserit, non deveniendum esse ad subhastatio-
nem, si creditor malit in solutum sibi dari bona executione ex-
torta, vel si ex eorundem usufructu satisfactionem querat. Sed
haec ita intelligenda sunt, ut ne creditor compellatur ad accipien-
dam hanc conditionem, si nolit, l. incivile 4. G. de bon. ant. b. jud.

posse. quem textum in hac materiâ notabilem vocat Coler. *de proc. execut. part. 3. cap. 9. numer. 71.* quod si securus haberet, contraria essent l. 15. §. 3. ff. *de re jud. l. 3. C. de exec. rei jud. l. fin. C. si in caus. jud. pign. capt. sit.* quæ leges cum conditione tantum admittunt addictionem, nimis rùm si pignora, quæ capta sunt, emptorē non inveniant. Et quemadmodum creditoribus invitatis in solutum obtrudi nequit res oppignorata (*de jure Justiniianeo*; aliud sancitum videtur per Imp. Reces. d. A. 1654. §. So viel nun die capitalia *ibid.* der creditor solche anzunehmen schuldig seyn.) ita nec debitoribus imponi debet, ut sine distractio-
ne relinquant rem creditoribus, Mevius *part. 1. decis. 20. num. 1.* Ergo mens Carpzovii *dict. def. 33.* & aliorum hæc est: si per amicabilem compositionem evitari possit subhastatio, esse omnino tentandam judici. Quæ conventio, si ineatur ab utrâque parte, adeò firma est, ut per eam non modò subhastatio, uti jamjam cognovimus, impeditur, sed debitori quoque reliundi pignoris facultas denegetur. Carpzov. *jurispr. for. part. I. Concl. 32. def. 60.* Cæterum si creditori cum debitore non convenit de pignore in solutum accipiendo, venitur ad hastam. Ubi, reliquo sermoni ut præmuniam, tenendum puto, res mobiles non minus ac immobiles subhastari, l. 15. §. 2. ff. *de re jud.* Berlich. *part. I. Concl. 56. n. 62.* nec omnino dissentit Colerus *de Process. execut. part. 3. c. 9. n. 69.* (etsi Berlichius *dict. concl. 56. n. 62 fin.* dissentire eum velit) quippe hoc tantum innuens, regulariter non nisi in soli rebus obtine-
re subhastationem, adeoque non negans, in mobilibus subhastationi esse locum. Sed excipiuntur tamen illæ res mobiles, vel se moventes, de quarum pretio tantum non æquè ac de pecuniæ si-
gnatae estimatione constat; quia singulis fermè diebus publicè yenum exponuntur: quales sunt oves, frumentum, lardum, butyrum, casei, & similes res mobiles esculentis, & poculentis inservientes. Has enim res, secundum communem valorem, statim tradi creditoribus jure Dominii, & frustra subhastationi subjici, docet Coler. *de process. execut. part. 3. tap. 9. n. 44.* Baldus. *in l. 1. n. 5. C. Si propter publ. pensit.* hanc reddit rationem: quia pretium, inquit, earum rerum est adeò manifestum, ut non possit ibi in-
servenire collusio. Add. Damhouder, *de subhast. cap. 2. n. 7.* Ber-
lich,

lich. part. i. concl. 56. n. 38. His, & aliis, quæ Practici monere solent, probè ponderatis, permittit tandem judex, ut distrahan-
tur pignora. Sed ita, ut ne contemnantur, quæ hic observari so-
lent: ejus enim rei quanti inter sit, vid. apud Anton. Fabr. Cod. lib. 8.
tit. 16. def. 4. Hinc notanda circa venditionem pignorum sunt:

I. Antecedentia. Nam (α) fieri debet venditio post duos menses, l. debitoribus. 31. de re jud. & numeran-
dum hoc tempus à tempore, quo capta sunt pignora. Bart. h. c.
Hartm. Pistoris lib. 3. quæst. 18. n. 15. Non obstat nobis l. ult § fin
vero. 2. C. de jur. Dom. impetr. ubi post biennium demum di-
strahi pignora Imperator jubet: hanc enim legem de conventio-
nali pignore duntaxat, non item de judiciali (de quo tamen no-
bis sermo) loqui; quinimò etiam in conventionali aliter lo-
cum non habere, quām si quis propriā auctoritate pignus conven-
tione vendat, vel Dominū ejus prætermisso juris ordine im-
petrare velit, probat ex praxi quotidiana, in primis provinciali Sa-
xon. Hartm. Pistor. dict. loc. En. 16. 17. consentit Coler. de proc.
execut. part. 3. cap. 9. n 99. Menoch. de arbitr. jud. cas. 6. n. 7.
imo hujus l. ult. C. de jur. Domin. impetr. tenorem vix servari ad-
serit Brunnen. in C. h. l. (β) Certis temporibus fieri debet procla-
matico pignorum vendibulum. Jodoc. Damhouder. de subhast.
cap. 3. n. 2. Coler. de process. exec. part. 3. cap. 9. n 77. fin. (γ) ante,
quām judex ad subhastationem procedat, per peritos aestima-
tores, aut patres familias exploret pretium rerum venalium, Dam-
houder. de subhast. cap. 3. n. 11. Coler. de proc. exec. part 3. Cap.
9. n. 81.

II. Concomitantia. Hic requiritur (α) ut vendan-
tur sub hastâ publicâ. l. 3. C. de exec. rei jud. l. i. 4. C. de fid. jur.
hastae fiscal. lib. 10. de cuius quidem rei necessitudine legas quoq;
Damhouder. de subhast. cap. 1. n. 15. & Berlich. part. i. concl. 56.
n. 58. (β) ut ne diebus Dominicis, & festis fiat subhastatio, l. ult.
§. 1. verf. praconis horrida vox filescat. C. de feriis. Nisi fortè in
pagis, & villis consuetudine aliud introductum sit, Damhouder.
dict. loc. n. 6. seq. Berlich. d. concl 56. n. 71. Carpzov. jurispr. for.
part. i. const. 32 def. 38. n. 3. (γ) ut pecunia numerata interveniat:
ne nimis longè res abeat, l. à divo Pio. 15. §. sed si emptor. 7. ff. de

re jad. Jodoc. Damhouder. *De Subhaft. cap. 5. n. 3.* (δ) ut tempus Subhaftationis, in rebus quidem privatorum, judicis arbitrio relinquatur, quia legibus certum tempus non est definitum, menoch. *de arbitr. jud. Cas. 129. n. 2.* Carpzov. *Jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 37. n. ult.* Coler. *de proc. exec. part. 3. cap. 9. n. 75.* in rebus Ecclesiæ verò, & fisci duret subhaftationis tempus viginti dies, auth. hoc jus porrectum. §. quod si nolit. C. de S. S. Eccles. Damhouder. *de Subhaft. cap. 5. n. 1.* Berlich. *part. 1. concl. 56. n. 67. seqq.* Menoch. *de arbitr. jud. cas. 129. n. 3.* & Damhoud. *d. l. ad. dunt his bona minoris.* (ε) ut, hoc Subhaftationis tempore durante, liceat reo luere pignus, pecuniam debitam obferendo creditori, Coler. *de proc. exec. part. 3. cap. 9. n. 64.*

III. Consequentia. Huc pertinet: (α) Ut adjudicentur bona licitatori majus pretium obferenti, attamen post lapsum demùm tempus Subhaftationis definitū, Carpzov. *Jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 39. 40.* Sed dantur etiam casus, quibus minus obferenti adjudicantur: puta, si minus obferens est persona honestior, & ad solutionem paratior illa, quæ obfert majus pretium; item si res Ecclesiæ subhastantur minus, modò justum, pretium obferenti dantur, Damhouder. *de subhaft. cap. 5. n. 11. n. 22. & seqq.* Quod si plures æquale pretium promiserint, tūm prior tempore potior jure est, vid. Damhouder. *de subhaftat. d. cap. 5. n. 9.* quem sequitur Berlich. *part. 1. concl. 56. n. 76. seqq.* (β.) ut, quod ex venditi pignoris pretio superest, reddatur debitori, *d. l. debitoribus 31 ff. derejud.* (γ) ut, facta subhaftatione, si emptor nullus, vel non dignum pretium obferens existat, liceat ipse editori emere ex officio, *l. 2. Cod. si in caus. jud. pign. capt. sit Carpzov. Jurispr. for. part. 1. const. 32. def. 51.*

Et hæc potiora esse arbitror, quæ de subhaftatione notantur. Plura, si lubet, videoas apud Damhouder. *de subhaft. Anton. Fabr. Cod. lib. 8. tit. 16. def. 3. seqq.* Berlich. *part. 1. concl. 56. num. 53. seqq.* Carpzov. *Jurispr. for. part. 1. const. 32. def. 33. seqq.* Si igitur nemo emere velit, neque vixit, neque alienus; judex, ut emere tandem aliquando possit, addicit pignora creditori, *l. ult. §. 2. C. de jur. dom. impetr. l. ult. C. si in caus. jud. pign. capt. sit. Hinc Dion. Gothofredus ad hanc l. ult. C. si in caus. jud. addictionem.*

Dominii

Dominii, *subsidium emptionis*, haut absurdè vocat. Hac tamen lege addicuntur bona creditori, ut ad id, quod minus est in pignore, omnis actio creditoris integra sit: sicuti contra debitoriorum iura integra servantur, si valor pignoris debiti pretium excedit, *L. ult. §. 4. C. de jur. dom. impetr.* Sed cave credas, post subhastationem in addictione pignorum planè excludi voluntatem creditoris. Nam non potest cogi creditor, ut res judicialiter taxatas, & subhastatas, nullò emptore repertò, in solutum accipiat: nisi ipse creditor taxationem eo fine petierit, Berlich. *part. 1. concl. 56. n. 93. seqq.* Carpzov. *Jurisp. for. part. 1. const. 32. d. 61. 62.* Mevius *part. 1. decif. 21. n. 2.* & hanc liberam creditoris voluntatem ex *L. 15. §. 3. verb. maluerit ff. de re jud.* probat Colerus *de proc. exec. part. 3. cap. 9. n. 96.* Dicis quis tandem litium finis futurus sit, si creditor compeili non debet à judice, ut in solutum capiat bona posteaquam sine consensu ejus judicialiter taxata sunt, & in subhastatione emptorem non invenerunt? Datur medium. Scilicet petat creditor, ut aestimentur denuò pignora. Si minùs, præcipiat judex tam debitori, quam creditori, ut ipsi eligant idoneos estimatores: cessantibus his, judex eligat minimum duos estimatores, eosque ante, quam ad taxationem admittantur, juramento obstringat, Berlich. *part. 1. concl. 56. n. 98. 99.* Sed remittitur sacramentum hoc estimatoribus, si juramento generali ad munus estimationis adstricti sunt: Sic enim denuò jurare non tenentur, Coler. *de proc. exec. part. 3. cap. 9. n. 115.* Berlich. *d. concl. 56. n. 102.* Carpzov. *Jurispr. for. part. 1. const. 32. d. 63. n. 6.* item jurare non tenentur estimatores, qui ab ipsis litigatoriis constituantur, quia ipsorum fides à partibus adprobatur, Coler. *d. cap. 9. n. 14.* Sed haec quae de liberâ creditoris post subhastationem voluntate diximus, videntur juri Saxonico propria esse: cum tamen Mevius ea ad jus commune referat, neq; ego à Practico dissentiam. Interim, quamdiu aliquid adjudicationi deest, integrum esse debitori rem luere, & qualem cunque oblationem sufficere, testatur Mevius *part. 1. decif. 22.* His in terris moris est, ut facta taxatione, pro modo debiti adjudicentur pignora creditori. Haec de formâ executionis actionū personaliū: in realibus tantis difficultatibus non laboramus. *vid. tb. seq. hujus dissert.* Enigitur summā judicis in servando executionis ordine & quietatem in

cujus

eujs ea non incurrit oculos ? Scilicet hoc nititur fundamento : ne ægrè nimis quod suum est obtineant creditores ; ne sine humanitatis memoriâ creditorum manibus exponantur debitores . Percurre , si lubet singula : & reperias , huc tendere , quasi ad centrum , omnia ; nihil aberrare . Sanè si vis quædam in cælum ducendi operibus inesset bonis , mul-
tò mihi meliori jure exclamare hic liceret , quām Dion. Gothofr.
ad l. 1. §. 3. ff. de per. & commod. reivendit : in vasa vinaria intento :
quem ordinem executionis , quoties apud me diligentius retracto ,
audenter jam dicam , inter Jctum , & virum bonum nihil inter-
esse , certissimam denique ad cælum viam esse nostram jurisprofes-
sionem , & ad æquum & bonum revocetur .

Criminalis executionis formam , non minus ac civilis , om-
nium optimè nobis in conspectum dabit ipsum factum , quo de-
linquentium audaciae libidinibusque frena imponuntur . Et con-
venire huic actui executionis criminalis cum civili , si quando
(secundum jus Justinianeum) multa fisco exigenda est , velle vi-
detur sæpius alleg . l. 15. ff. de re jud . verba enim legis generalia-
funt : ideoque hujus generis executionem non excludunt . Enim
vero , si rei bona non omnia habeat provincia , cui judex jura dat ,
aliud suadere auctoritatem judicis autumo . Ita enim constitu-
tis rebus , non tenetur judex Rei forum sequi ; sed recte gradū po-
test ea , quæ in ipsius territorio sita sunt , in pœnam capere fisca-
lem : & nihil refert , an mobiles sint res , an immobiles , an nomi-
na . Extra hunc casum , actus executionis Criminalis hominem
ipsum versat : ejusque mox famam lædit , mox corpori gravis est ,
membra mutilat , vitam rapiit . Hinc præconum clamor , signi-
ficantium eos , quos judex notavit . Hinc catalogus sæpè famo-
sus cruciadfigitur , index futurus nominum , quæ bonorum subdu-
cenda commercio sunt . Illum laborare tergo videoas : hunc nari-
bus destitui . Illum aures querere : hunc corpore rotâ insignem :
(ubi notandum , parci debere faciei , quippe ad similitudinem
pulchritudinis cælestis figuratae , l. si quis 17. C. de pænis . Carpzov .
Jurispr. for. part. 4. conf. 47. d. 6.) Huic manum adimi , quâ fa-
cilius carere potest reus , Carpzov. præct. crim. part. 3. quest. 129.
n. 35. vid. Nov. 34. c. fin. linguam illi . Hunc ferrò cadere : illi
restem

restem neci esse. Hunc miserè trahi per faxa , sonare caput , eerebò effusò madefacere humum : illum fervente oleo perire . Hunc culeo inclusum alto mergi , cane juncto , gallò , angue , & simiâ , vel sele : illum rogo impositum abire in fumum , cineresq;. Hunc ab imis unguibus usq; ad verticem summum face comburi , relictò diu spiritu : illum carptim , per singula membra mori , ut mori se sentiat . Et si qua sunt de eodem genere supplicia . V. l. capitalium . 28. ff. de pénis . Carpzov . præt. crim. part. 3. quæst. 137. n. 63. Satis est nominasse potiora . Neque singula suis aptare criminibus instituti ratio postulat . Brevi enim quasi tabellâ executionem sistere animus est . Nolim tamen hic prætermittere , quæ carnificem stringunt leges in ipso executionis actu , quô exanimatur reus . De his Carpzov . præt. crim. part. 3. qv. 137. n. 60. 61. 62. I. Negat carnificem temerariò ausu , & fragilitatis humanæ iminorem ad opus accedere debere . II. ut mitius reum adloquatur carnifex , misericordiam divinam moneat , & , quâ fieri potest , lenitate tractet , præcipit n. 61. ubi , hoc neutiquam largiri sese Jodoc . Damhouder . inquit , incumbere nempè carnifici , ut oret Reum , quò sibi mortem condonare dignetur , quam jubente judge , Dei ministro , illatus est ipsi . in testimonium vocat verba Lutheri in Postill . Ecclesiast . super Evangel . Dom . IV . post . Trinit . Meister Hans sol nicht sagen zum Ubelthäter / dem er sein recht thun sol / wie sie doch pflegen / lieber M . vergib mir / was ich heute an dir thun werde / denn warumb wil er so sagen / thut er doch recht daran / darumb darf er keines vergebens / &c. III. Carnificis esse , executionem intrepidè aggredi , omnique studio Reum spœnæ destinatum commeritò adficere , suppicio , executionemque perficere ex Caroli V. const. crim. art. 96. probatur . Quanquam hæc certo respectu ad causam quoque ministerialem executionis , de quâ antea , referri possunt .

Th. IX.

CIR CUM STANTIAE.

Executionis civilis non potest per rerum naturam alio in loco Loci.
fieri , quâm ubi bona debitoris vel quædam , vel omnia deprehenduntur .
D.

duntur. Neque bona antē execuctionem alium in locum ducenda: quia judex, qui sententiam tulit, (si superior, per mandatum, si æqualis, per literas mutui compassus) execuctionem in bona alterius jurisdictioni inclusa requirere tenetur, de quo th. IV. Distractionem fieri in civitatibus populosioribus, in foro publico, secundum jus Saxonum, nec hunc morem de jure communi ignotum esse tradit Coler. de proc. exec. part. 3. cap. 9. n. 77. Enimvero ante ad execuctionem non est properandum, quām sententia in rem judicatam transit, seu decendum elapsum est. Nov. 23. cap. 1. Nov. 11. cap. 5. Quod tempore præterito, in actione reali statim, si quidem potest reus, restituitur res, §. 2. Inst. de offic. jud. Carpzov. juripr. for. part. 1. const. 32. d. 3. n. 2. si minus statim potest, prorogatur quandoque solvendi dies, l. debitoribus. 31. ff. de rejud. arbitrio tamen judicis, Menoch. de arbitr. jud. cas. 28. n. 3. in actione personali, post quadrimestre spatium à die condemnationis, exequi licet, l. 2. C. de usur. rei jud. Cæterū neque hic tempus certum ita strictè semper servandum esse judici, l. 2. ff. de rejud. monemur. Multò minus ante causæ cognitionem, & sententiam, executioni locus erit, l. 1. C. de exec. rei jud. l. si cum. 58. ff. de rejud. §. 1. Inst. de vi bon. rapt. l. si quis in tantam. 7. C. unde vi. l. extat. 13. ff. quod met. caus. & si vel maximè cognitio causæ præcesserit, & sententia in rem judicatam transferit, nihilominus creditor pro executione sibi decernendâ, judicem adeat oportet, arg. l. dies. 4. §. hoc autem. 8. ff. de damno infecto. l. 2. C. de naufr. lib. 11. Berlich. part. 1. concl. 56. n. 2. Quod si instrumentum aliquod, vel ex vi statuti, vel ex pacto, paratam habeat execuctionem, & debitum appareat esse liquidum (de cuius liquidi necessitate vid. Coler. de proc. exec. part. 3. cap. 1. n. 2. seq. Petr. Frider. de mand. lib. 2. cap. 59. n. 1.) non requiri cognitionem causæ ordinariam, cuivis obviūm est, vid. omnino Coler. de proc. exec. part. 1. cap. 3. 5. Nec ante aditionem judicis, propriâ auctoritate, creditor, cui cum debitore convenit, ut liceat possessionem bonorum ingredi, post moram justè occupat bona debitoris, l. creditores. 3. C. de pignor. Mevius ad Const. Brem. von Bucherl. contract. part. 2. cap. 1. §. 10. quamvis alii contrariae inhærent sententia, uti patet ex iis, quæ hac de

Antecep-
dencia.

hac de re habet Coler. *de proc. exec. part. i. cap. 5.* & ipse private executioni adsentiens, *d. cap. 5. n. 95. f.* licet non sine limitatio-
ne. In primis enim hanc potestatem exsequendi ex pacto tuius
permisso judicis exerceri, neque extendi ad vim armatam, (ita,
ut resistenti vim inferre armis executor possit) statuit cum Sal-
ceto, Angelo, & aliis, *d. cap. 5. n. 96. 98. 99.* nos, ut absolutè ne-
gemus licitam esse privatam executionem absque judicis con-
sensu, firmat fundamentum, quo nititur Mevius *d. tract. ad const.*
Brem. Wie nun / inquit ibi, dieses statum reipubl. & quietem
societatis civilis merclich touchiret / und angehet / also mag dage-
gen kein pac oder geding der privat Contrahenten etwas würfzen/
oder gültig seyn/ *jus publicum* pactis privatorum mutari non pot-
est, *i. jus publicum. 38. ff. de pactis.* Licet igitur tam acriter
pugnent jura tam civilia, quam gentium contra vindictam priva-
tam, apud Svecos tamen sancitum reperio, ut sponso post sponsa
legitimè contracta sponsam petere liceat, & resistentibus
sponsæ tutoribus, vel effractione portarum, si aliter non possit,
illam abducere: adeò, ut, si mors aut vulnera subsequantur, nul-
la poena solvatur pro eo quod resistentibus infertur: sed si illi in-
terficiantur, vel vulnerentur, qui eam recipere volunt, eorum
poena duplicitur, ac censeatur tunc jure recepta, & non rapta.
Verba hæc, utpote legislatoris propria, legas in *Suecia edit. ab*
Elzevir. Lugd. Batav. a. 1633. p. 72. Sed an hoc jus hodiè in de-
suetudinem abierit, norint Suecarum rerum periti. In ipso ex-
secutionis actu caveant executores, ut contra constitutionum
normam quidquam exigant, si quidem poenam quadrupli evitare
velint, *§. quadrupli. 25. Inst. de action. Nov. 124. c. 3.* imò exse-
cutoribus publicis, qui mandato judicis destituuntur, resistitur
impunè à privatis per *i. prohibitum 5. C. de jure fisci. vid. hac de-*
re Petr. Gregor. Tholos. partit. f. Canon. lib. 3. tit. 18. schol. lit. O.
Menoch. de arbitr. jud. cas. 378. n. 8. idque ex hac potissimum
ratione constitutum puto, ut ne inde injuriarum nascatur occa-
sio, unde nascuntur jura, arg. *i. 6. pr. C. unde vi.* quamvis ex
i. servo invito 65. §. cum prætor. 2. ff. ad SC. Trebell. cum Pet. Greg.
*Tholos. I. c. & hanc, remotiorem tamen, possis reddere: quia sci-
licet, propter auctoritatem rerum judicatarum publicè interest.*

*Conse-
quent.*

ita fieri executionem. Quid pignoribus captis agendum, item distractionis Anteced. Comtomit. & conseqq. vid. Th. VIII. hujus dissert. ibi enim commodiū ea tradidimus.

*Crimin. ex-
sec. circum-
stant. Loci.*

Criminalis executio, & in specie supplicia pro locorum consuetudine, & suppliciorum conditione, modò in urbe, modò extra eam peragi solent. Hinc alibi in ipso fato vitam ferrò finiunt, vel virgarum ictus excipiunt rei: alibi per totam urbem ducuntur, eundo vapulantes, vel extra oppidum exspectant casum. Non nunquam, si dignitate quadam prædicti sunt rei, in ædibus publicis, vel in ipso carcere cadunt. Ubi certus est supplicii locus, vocari suavit: das Gericht / Richtstatt / Freymbstatt / in specie, Rabenstein / enthauptstatt etc. de horum locorum structoribus, quod ab omni ignominia liberi habendi, & quæ poena in eos, qui secus faciunt, constituta sit, vid. *Const. crim. Caroli V. art. 215. seqq.* Antequam verò ducatur reus capitisi, (nam in aliis poenis, quæ vitam non auferunt, absque strepitu procedi solet, *Carpzov. pract. crim. part. 3. qu. 136 num. 2.* ideoque eas jam missas facimus) 1. sententia ipsi denuncianda est, & quidem triduo ante diem dictum supplicio. 2. post denunciatam sententiam tolerabiliori custodiâ detinendus, admittendi ad eum cognati, & ministri Ecclesiæ in solatium. 3. per istud triduum laetiori cibo recreandus, ne tristitia pro rorsus supprimatur. Probantur hac partim ex sacro codice, partim ex *Caroli V. const. crim. art. 79.* de quibus *Carpzov. pract. crim. part. 3. quæst. 137. num. 35. & seqq.* Fatali luce ortâ, & horâ auditâ, signum dari campanâ tolet, ad constituendum judicium ultimum criminale, das hochnohypeinliche Halsgericht zu hegen: *Const. crim. Caroli V. art. 82.* quod Hochnohypeinliche Halsgericht / quomodo differat ab illo, quod simpliciter das peinliche Halsgericht vocatur, vid ap. *Carpzov. pract. crim. part. 3 qu. 136. num. 56. seqq.* item quam sit necessarium hoc judicium ultimum criminale, vid *ibid. num. 4.* eodem tempore reus è carcere progressitur, ad audiendam ante hoc judicium ultimâ sententiam, & confessionem repetendam; inde ad locum supplicii pergitur, comitibus verbi divini ministris; minimum unus adsit oportet, qui erigat reum, eique addat animum, futura promittens, & æterna, & beatissima; non autem ad negandum delictum alliciat reum sacerdos

*Anteceden-
tia.**Concomi-
tantia.*

dos, const. crim. Caroli V. art. 102. 103. porrigitur viuum, ad curas pel-
 lendas, ne tamen nimis adhibeat, videndum, Caroli V. const. crim.
 art. 79. Judex inferior & adsecessores interesse actui debent. Principē,
 & superiorem judicem hæc non decent, Carpzov. pract. crim. part.
 3. quæst. 137. num. 64. 65. Commititur tandem carnifici reus,
 ut cum ipso ratione juramenti sui secundum sententiam judicis
 agat, Const. crim. Caroli V. art. 96. Cumque judicis sententia ex-
 animari reum velit, sequitur, carnificis esse tamdiu infistere offi-
 cio suo, donec in vivis esse desinat facinorosus. Hinc non est,
 quod dubites, furem, soluto vinculo, incidentem de patibulo vi-
 vum, denuo vinciendum & item damnatum, cui primo ieiū caput
 non demitur, neque lethale vulnus ingeritur, iterum esse ferien-
 dum, usque dum moriatur, Joh. Emeric à Rosbach. pract. crim. tit.
 7. c 2 Georg. Schulz Synops. judic. possit. 85. Quid quod ob le-
 viora quoque delicta, quæ sine vita periculo puniuntur, denuo pu-
 niri reus solet, si non pro merito punitus est, teste Carpzov. ju-
 rispr. for. part. 4. const. ult. d. 9. Carnifex autem, quia & imperi-
 tia culpæ adnumeratur, §. 7. Inst. de L. Aquilia l. 32. ff. de R. J. ar-
 bitrariè puniri poterit, Carpzov. pract. crim. part. 3. qu. 137. num.
 67. à judice; non à populo, quippe cui id expresse negatur per Car-
 roli V. const. crim. art. 97. h. v. So der Nachrichter den Armen
 auff die Richtstatt bringet / sol der Richter öffentlich ausrussen/
 oder verkünden lassen / und von der Obrigkeit wegen bey Leib und
 Gute gebieten / dem Nachrichter keinerley Verhinderung zu thun/
 auch ob ihm misslungel nicht Hand an zulegen. Omnis re ritè per-
 agit, quærenti carnifici, an benè functus sit officio? judex, secun-
 dum Caroli V. const. crim. art. 98. respondere debet: So du ge-
 richtest hast / wie Urtheil und Recht geben hat / so lasse ich es darbei
 bleiben. Deinde cadavera vel sepeliuntur, vel ex edito loco, in-
 terrem cæterorum, qui similia fortè moluntur mala, conspi-
 cienda relinquuntur; vel interdum Medicorum manibus, arbitrio
 judicis (qui, si tutus esse velit, consulat Principem necessè est) sub-
 jiciuntur, Carpzov. pract. crim. part. 3. qu. 137. num. 69. seqq. Bona
 autem damnati non sunt publicanda, nisi reus Majestatis fuerit,
 const. crim. Caroli V. art. 218. vers. item an etlichen. Vid. th. VI.
 hujus dissert.

Consequen-
tia.

ATTRIBUTUM.

Rigor.

Eius est naturæ exsecutio civilis, ut debitorem, si omnia bona debeat, planè exhaustiat, ne relictis quidem ad vitam necessariis, arg. l. qui bonis. 6. ff. de cœs. bonor. L. 1. C. qui bon. ced. poss. Hinc Jureconsulti ad ultimum, inquiunt, usque denarium, & ad intiam usque interulam excuti debitorem posse, Carpzov. juris pro. for part. 2. C. 25. d. 6. num. 6. seqq.

Et cum exsecutio criminalis totius Reip. bono fiat, multò minus de ipsius rigore aliquid remittendum est. Quādere non facilè venia danda delinquentibus. Neque tardanda exsecutio est: eorum præcipue, qui morte plectendi sunt. Non modò, ut ne poena duplicitur, dum poenæ in sententiâ dictæ carceris longioris poena addituri, sed & propter fugæ periculum, Carpzov. pract. crim. part. 3. qu. 137. num. 2. seqq. Quamvis non unam, & rectè quidem, allegare causam criminalitas videoas, cur mora nonnunquam imponenda sit exsecutioni: ei cumprimis, quæ vitâ reum privat. Carpzov. d. q. 137. num. 11. seqq. & in his ante omnia notandum, foeminam prægnantem omni tive capitali, sive alii corporis adflictivo supplicio subtrahi; donec pepererit l. prægnantis. 3. ff. de pœn. l. imperator. 18. ff. de statu hominum. etiam post editum partum, ante lapsum sex hebdomadarum, mulierem ad poenam corporis adflictivam non capitalem tradi non debere statuit. Carpzov. pract. crim. p. 3. qu. 137. num. 22. Imò planè absolvuntur quandoque rei corporali pœnâ, etiam capitali, arg. l. ad bestias. 31. ff. de pœnis. Ad h. l. Dion. Gothofredus inquit: Dynus refert, se ex hoc textu mortis veniam impetrasse cuidam fabro, ob artis sue peritiam, cui alioquin manus ex statuto erant amputande. Etsi non satis liqueat, quî opus fuerit ei mortis veniam impetrare, cui manus tantum amputandæ erant. Fortè ex eadem lege vita olim concessa artifici cuidam Stûgardiæ: ob Novam, quam vocant, Hierosolymam, miro artificio à maleficio compositam. Monstratur opus peregrinantibus, & vitâ donatus artifex dicitur. Attamen hanc l. ad bestias ff. de pœn. nihil quidquam pertinere ad homicidii reum, ne Principis quidem auctoritate interveniente,

te,

te, putat Carpzov. *pract. crim. part. 3. quest. 150. num. 31 seqq.* & *jurispr. for. part. 4. const. 9. d. 7.* Sed loquitur haut dubiè Carpzovius hic de potestate Principis ordinariæ; non autem de extra-ordinariæ & absolutæ; quemadmodum distinguit Jodoc. Damhouder. *pract. rer. crim. cap. 147. num. 6.* Fæminam autem matrimonium rei petentem impedire exsecutionem posse, plebi quidem persuasum est; verum I' Cti omnino negant, arg. *I. addit. 6. C. de Episcop. aud.* utut *Henr. Kornmannus in Sibyllâ Trygandr. f. de virg. jur. C. 55. p. 144.* semel, scribat, se meminisse ejusmodi quid factum Marpurgi. vide *Dd. ad I. addit. 6. C. d. Episcop. aud.* & in his Dion. Gotho tr. quoque.

Th. XI.

CONNEXUM.

De expensis totius processus civilis si queraras, respondetur *Expense.*
ex §. ecce i fin. inst. de pœn. rem. litig. c. finem litibus. s. extr. de dolo
& contum. victum teneri solvere expensas: modò fuerit litigator improbus. qualis quando sit, vel non præsumatur esse, colligitur ex iis casibus, quibus Dd. victum liberant ab hoc onere, vid. Monach., *pract. jud. part. 19. cap. 3. num. 4. seqq.* Jo. Emer. à Rosbach. *proc. civ. tit. 78. num. 15. seqq.* Jam si constet quis totius processus expensas debeat, non poterit non de sumptibus exsecutionis constare: quia exsecutio, pars totius processus, in toto continetur, arg. *I. n. 3. ff. de R. J. Coler. de proc. exec. part. 3. cap. 9. num. 152.* quicquid circa exsecutionem, inquit, expenderit creditor, hoc omne ipse tenetur refundere exsecutatus.

De criminalis processus, & exsecutionis sumptibus cum Carpzov. *pract. crim. part. 3. qu. 138 num. 2. & 9.* Duas regulas noto. Unam negativam, seu quis non teneatur, alteram adformativam, seu quis teneatur solvere expensas. Negativa hæc est: Reus ad mortis supplicium, aliamve pœnam corporis adflictivam condemnatus expensas in processu criminali & exsecutione pœnae factas nequaquam refundere tenetur. Adformativa sic habet: Magistratus ordinarius sumptus criminalium judiciorum (addo: & exsecutionum, quæ corpori pœnam ingerunt; & Carpzovium in id consentire, patet ex d qu. 138 num. 50.) regulariter sufferre debet. Limitationes videoas loc. cit. Add. omnino Nic. Vigel. *const. Carol. cap. 5.* reg. II.

Th. XII.

(32)

Th. XII.

EFFECTVS.

Executione cùm civili, tùm criminali id efficitur, ut pace
fruatur judicium, ratione hujus quidem causæ, quæ executione
finita est; utque non liceat ab executione adpellare, nisi forte
executor sententiæ modum iudicationis excedat. *I. ab executione*
s. C. quor. adpell. non recip. Joh. Emer. à Rosbach. *proc. jud. civ.*
tit. 79. n. 17.

Th. XIII.

COGNATA.

Incarceratione.

Sidebitorem tanta egestas tenet, ut vel planè solvendo non
sit, vel omnibus suis bonis tantum efficere non possit, quantum
petit creditor, id datur solatij victori, ut in carcerem ducatur re-
sus, *Ord. Polit. a. 1577. tit. 23.* & hoc consuetudine, & statutis in-
duci potest, Carpzov. *Jurispr. for. part: 2. const. 22. d. 2. n. 5.*
vid. das Fürstl. Mechlenb. assurance Schreiben de An. 1621. p. 23.
nec liberetur prius debitor, quācum, unā cum sorte, interesse quoque
solverit: ut ut ob solas usuras, per inopiam non solutas, in vincu-
la haud conjiciendus sit, Carpzov. *Jurispr. for. p. 2. c. 22. d. 9.*
Et novam hanc debitorum coercitionem (Justiniano
quippe prohibitam *I. 1. & ult. C. qui bon. ced. poss.* Berlich.
part. 2. concl. 28. n. 1.) nihil quidquam iniuritatis alere,
quia moribus hodiernis respondeat, censet Mevius discuss. levam.
inop. debit. cap. 4. sect. 1. n. 2. seqq. quidquid Carpzov. *Jurispr.*
for. p. 2. c. 22. d. 2. n. 4. multa Scripturæ loca ad fert, quibus ob-
æratos debitores vel in Dei Reipubl vincula passos esse probat.
Sed pertinent carceres tantum ad illos debitores inopes, qui suā
culpā, & dolo malo iacturam bonorum fecerunt: non item ad il-
los qui fortunæ vitio, vel levi aliquā culpā ad angustias redacti
sunt, Carpzov *d. constit. 22. d. 5.* Mevius discuss. lev. *inop. deb. cap.*
4. sect. 1. n. 5. seqq. Hi enim juvantur beneficio *I. 1. C. qui bon. ced.*
poss. dict. Ord. Polit. d. a. 1577. tit. 23. §. So segen ordnen. fin. Sic
liberi quoque à carceris molestiâ sunt omnes illi, qui bonis cedere
non tenentur, Mevius discuss. levam *inop. deb. cap. 4. Sect. 1. n. 19.*
& hinc illi quoque, qui gaudent privilegio competentiæ Matth.
Ber.

Berlich. part. 2. concl. 28. n. 36. 37. Carpzov. *Jurispr. for.* p. 2. c.
 22. d. 19. n. 2. cum validum sit argumentum à beneficio competentiæ ad cessionem bonorum negativè conceptum, ita: habet privilegium ut non teneatur, nisi in quantum facere potest, E. cedere non cogitur. Manzius patroc. deb. dec. 2. qu. 1. n. 132. quibus adduntur mulieres Nov. 134. cap. 9. puta honestè viventes: meretricibus enim (modò ne maritatae sint) non parcitur Berlich, *dīct.*
concl. 28. n. 34. 35. quia in his ratio *d. N. 134. cap. 9.* cessat. Pupilli item, & minores ob debitum non astantur vinculis, Carpzov. *dīct. def. 19. n. 2.* Berlich *d. concl. 28. n. 37.* Quemadmodum igitur incarceratio, ita etiam ad operas addiction pro medio contra debitores, qui non sunt solvendo, esse potest. De cuius quidem rei utilitate vide sis Mev. *discuss. lev. inop. debit. cap. 4. sect. 1. n. 28. seq.* Verum non indistinctè omnes debitores ad operas addicuntur: nam innocentes, quinon suā culpā ad inopiam pervenerunt, excipiuntur. Ita tamen, ut distinguatur inter addictionem ad operas, quæ sit ad manus creditoris, & addictionem, quæ sit solum ad operas debitoris, ut debitor subsistens ubicunque velit, ex operis suis creditori satisfaciat. Hæc addiction, quæ non sit ad manus, etiam ad innocentes pertinet, Mevius *d. sect. 1. n. 33.* Plura hac de re Manzius patroc. *debitor. decad. 1. qu. 8. 9.* Colerus *de proc. exec. part. 1. cap. 9.* Ad morosum debitorem compellendum ut solvat, facit obligatio ad obstagium, die Leistung / einLeistung oder einZager: sed cum Lege Imperii eo interdictum hodiè sit contrahentibus Ord. Polit. d. a. 1577. tit. 17. §. wiewol auch in. non erit curæ pretium, ut hic multi simus, vid. tamen Coler. *de proc. execut. part. 1. cap. 8.* quanquam Mevius *ad constit. Brem. von Wücherl. contracten part. 1. cap. 9. §. 5.* usum hujus rei C de quo in Holsatiâ non dubitatur, etiamnunc esse in terris Bremensibus, quæ vulgo Marschländer audiunt, & in specie im alten Lande: & jus obstagii ab imperii ordinibus in ipsorum provinciis salvâ constitutione Imperii, de quâ ante a, denuò, certis tamen conditionibus, introduci posse, censem. vid. Fürstl. Mechlenb. *affecuation-Schreiben de Anno 1621. p. 22.* Ad contumacem debitorem coercendum datur in primis remedium missionis in possessionem ex possessione. Ex primo & secundo decreto. Exprimo decreto mittitur actor in posses-

*Addictio
ad operas.*

Obstagium

*Missio in
possessione.
Ex primo
decreto.*

possessionem bonorum rei contumacis: (1.) ut custodiat tantummodo, non possideat, l. 7. §. 17. seqq. l. cum legatorum 12. ff. quib. ex caus. in possess. eat. l. 3. §. fin. ff. de adquir. vel. amitt. possess. idque obtinet in personali actione; in reali enim actione actor ex hoc decreto etiam possessionem adipiscitur, uti statuit Specul. de primo decret. §. 5. n. 9. Colerus de proc. exec. part. 3. cap. 12. n. 44. Jo. Emere à Rosbach proc. jud. civ. tit. 31. n. 17. Mevius adjus Lub. lib. 3. tit 1. art. 7. n. 29. (2) ut reus tædio adfectus veniat responsurus, cap. ult. extr. ut lite non contest. l. 5. pr. ff. ut in possess. legat. unde tædialis hæc possessio cum aliis Mevio adjus. Lub. d. art. 7. n. 31. vocatur. (3) ut actor bona contumacis debitoris pignoris prætorii loco habeat, l. 26 ff. de pignor. action. l. 2. C. qui pot. in pign. hab. Et in reali quidem actione in rem petitam mititur Actor, d. l. 7. §. 17. 18. ff. quib. ex caus. in possess. catur. d.c. ult. §. in aliis verò. extr. ut lite non contest. in personali actione servatur ordo, quem requirit exæcutio actionis personalis, l. 1. C. de præt. pignor. d. cap. ult. vers. si autem super person. extr. ut lite non contest. Quod si in reali actione veniat reus intra annum post missionem, & contumaciam purget, præstittā cautione de judicio sisti, & restitutis expensis, tollitur hoc primum decretum, l. sancimus. 15. C. de judic. auth. & qui jurat. C. de bon. aut. jud. poss. l. si quis emptionis. 8. §. pen. C. de prescript. 30. vel 40. annos. In personali actione, quan- docunque reus venerit, modò ante secundum decretum veniat, & cautionem judicio sisti præstet, restituatque expensas, auditur d. l. si quis emptionis. 8. §. pen. de prescr. 30. vel 40. annos. Joh. Emere à Rosbach. proc. judic. civ. tit. 31 num. 20. 21. Si post annum reus iterum citatus non compareat, vel compareat quidem, sed non debito modo, pergitur ad secundum decretum; ex quo actor tandem verus possessor esse jubetur, arg. l. prætoris s. l. si finita. 15. §. Julianus 16. & §. non autem. 21. ff. de damn. infect. immo saepius venduntur bona contumacis, post secundum decretum, ut ex pecuniâ satisfiat creditori, l. 7. §. prætor. art. ff. quibus ex caus. in poss. eat. l. cum propos. 9. fin. C. de bon. aut. jud. possid. At verò hoc secundum decretum tantum locum habet in personali actione, non item in reali, quia in hac non est opus secundò decretò: id quod patet ex dictis de pri-

Ex secun-
do decreto.

de primo decreto. Vid: Joh. Emer a Rosbach. proc. jud. civ. tit. 32. n.
3. Arnoldus de Reyger proc. judic. disp. 2. tb. 29. in not. Imo quæ ju-
re Romano de immissione exprimo vel secundo decreto proli-
xius traduntur, non observare amplius Germaniæ praxin, adserit
Mevius ad jus Lub. lib. 3. tit. 1. art. 1. addit. rationem ibilegas.

In criminali causâ reus contumax per poenam banni coérce-
tur, Arnold. de Reyger diet. loc. quam tamen comparens evitare
potest, quia bannito hodiè innocentiam suam, etiam in carcere
purgare licet, constur. crim. Caroli V. art. 155. in primis verò ad pro-
cessum banni requiritur, (1.) ut de corpore delicti constet, (2.) ut
crimen tale commissum sit, pro quo poena ultimi supplicii reo
confesso, & convicto irrogari potest. Carpzov. jurispr. for. part. 4.
const. ult. d. 10. num. 1. 2.

Th. XIV.

D I V E R S A.

Differat Arrestum ab executione: 1. ratione originis. Execu-
tio enim iuri civili ortu debet. Arrestum non item quippè quod
moribus introductum est. Hinc, quidquid ferè de arrestis prodi-
tum est, id moribus Saxonici videtur adscribendum, inquit Carp-
zov. jurispr. for. p. 1. C. 29. d. 6. num. 1. 2. 3. quamvis Monachus pract.
judic. part. 20. cap. 1. num. 1. à Gallis ad nos Germanos usum arresto-
rum translatu esse verisimile scribat. 2. ratione processus. Executio,
ante citationem, & causæ cognitionem, non conceditur: in arresto
citatione, & cognitione non est opus; sed sufficit fidem crediti fa-
cere per exhibitionem obligationis, licet originalis ea non sit,
Andr. Gail. prat. obs. 44. num. 8. Carpzov. jurispr. for. part. 1. C. 29.
d. 6. num. 6. seqq. 3. ratione effectus. Executio enim finem litis ad-
fert: cum Arresto pugna plerumque incipit. Arrestum securum
facit creditorem, & accusatorem: Executio certum. Arrestum
non auffert, neque impedit possessionem, Monach. pract. jud. part.
20. cap. 6. n. 4. Executio mutat possessionem. 4. ratione materie.
Executionis materia sunt bona, quæ debentur: Arresti materia &
illæ esse possunt, quæ non debentur, Monach. pract. judic. part. 20.
cap. 7. num. 22. Et horum similia multa invenias. Sic Represaliae
etiam ab executione differunt. 1. ratione fundamenti. Executi-
onem legio

legibus nititur: de Represaliarum fundamento adhuc dubitatur, Limnæus de jure publ. lib. 4 C. 8. num. 320. seq. Andr. Gail. de pignorat. obs. 2 num. 2. 2. ratione objecti. Executio pro objecto habet debitores, & nocentes. Represalia etiam innocentes, Limn. d. cap. 8. num. 314 fin. 3. ratione forme. Executio certum ordinem sequitur: Represalia eum non attendunt 4. ratione finis Represalia publicum bonum in primis respiciunt, Limn. d. l. num. 322. Executio in primis privatim. 5. ratione adjuncti. Represaliarum jus exercendi raro datur occasio: cum executionis tantum non quotidianus usus sit.

Pignora-
tio.

Pignoratio ab Executione dignoscitur. 1. ratione fundamenti. Pignoratio contra jus civile l. Quintus Mutius. 39. § quamvis alienum ff. ad L. Aquil. consuetudine tantum introducta, Carpzov. jurispr. for. p. 2. C. 27. d. 1. num. 1. 2. Executionem legibus fundariconstat. 2. ratione cause efficientis. Executio fit autoritate judicis: Pignoratio propriâ, Monachi pract. jud. part. 21. num. 2. 3. ratione objecti, Pignoratione res mobiles tantum capiuntur, And. Gail. de pignorat. obs. 1. num. 9. Executione etiam immobiles.

Th. XV.

OPPOSITA.


Impedimenta, quæ civili executioni obesse adsolent, præcipua sunt. Nullitas, Restitutio in integrum, Appellatio, Supplicatio. Monach. pract. judic p. 18. C. 6. Colleg. Arg. de rej. th. 100. Colerde proc. exec p. 4 C. 1. ubi multas alias exceptiones videbis. Nullitas executionem suspendit, si notoria est, & statim probari potest: sin altiore indagine opus habet nullitatis exceptio, executioni moram non imponit, Carpzov. jurispr. for. p. 1. C. 26. d. 22. n. 1. seqq. regulariter enim nulla exceptio potest opponi contra executionem, quæ incontinenti probari non potest. Monach. pract. jud p. 18. C. 6 num. 1. Sic etiam per beneficium restitutionis in integrum non nunquam de jure Canonico non suspenditur executio, arg. C. suscitata b. extr de in integrum restit. h. v. Nos, aequitate pensata, jure duimus providendum, ut ante omnia supra dicta sententia a executioni mandetur. V. Carpzov. Resp. lib. 2. tit. 9. resp. 94. n. 5. Supplicatio quoque intra decendum à latâ sententiâ interposita executionem non impedit, si fidejussiones dignas praestet pars viatrix de restituendâ re in casum succumbentiae; sin post decendi-

um

(37.)

um illud supplicetur, non suspenditur executio, N. 119. cap. alia ad hoc. Cæterum hac in re cujusque loci consuetudinem servandam scribit Schultz. Synopsi jud. possit. 76. fin. Revisionem olim quidem executioni obstitisse, & effectum suspensivum habuisse per Receß. deput. d. 1600 §. Als auch Streit probatur; sed hodiè ex ultimo Receß. Imper. d. a. 1654. §. Nach Berathschlagung. 124. constat, executionem per Revisionem non suspendi, modo executionem petens de restituendo, si forte in Revisorio causâ casurus sit, idoneam cautionem præstet.

De iis, quæ criminali executioni, & in specie capitali obstant, vid. th. X. hujus disserr. & in specie de Appellatione in causâ criminali & aliis impedimentis executionis criminalis, Carpov. pract. crim. part. 3. quest. 39. seqq. & Jodoc. Damhouder. pract. rer. crim. cap. 149.



Ad Nobilissimum & Præcellentem Juvenem

DN. MATTÆUM SLÜTERUM

J U. Candidatum

Magni illius JOHANNIS SLÜTERI JCti cele-
bratissimi & S. Serenit. Ducalis Mekleburg.

Cancellarii Eminentissimi Filium.

Tanto Parente dignum,

publicè Responsurum

De

EXECVTIONIBVS

Vix nostris pulchrum nomen professus
Athenis

Ex Cathedrâ gestis innotuisse Rosis.

E 3

Cla.

Clara Palæomie, Themidi celebrata Salana

Jam studii servat publica signa tui.

Jus ad crescendi famæ dedit incrementum

Sic magnum pergas exhilarare Patrem!

Ascendas magis atque magis, tibi gratia vires

Suggerat, & magnum crescat in orbe de-
cus.

AUGUSTUS VARENIUS.

h.t. Acad. Rost. Rector.

Ad

PRÆNOBIL: DN.

Auth. & Respondentem.

Sic Slütere decus, sic patris nobile nomen,
Doctrinæ radiis, nec non virtutis amore,
Exæquare studes, perquirens dogmata juris:
Auspicio! angebis præclari nomen honoris,
Et, quo præcedit virtus, fors ipsa sequetur.

PRÆSES.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn741509350/phys_0043](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741509350/phys_0043)

DFG



(37.)

um illud supplicetur, non suspenditur exsecuti
ad hos. Cæterum hac in re cujusque loci con
dam scribit Schultz. *Synopsi jud. possit. 76. fin.* Re
dem executioni obstitisse, & effectum suspen
Recess. deput. d. 1600 §. Als auch Streit proba
tim Recess. Imper. d. a. 1654. §. Nach Berathf
stat, executionem per Revisionem non suspend
nem petens de restituendo, si forte in Revisor
idoneam cautionem præstet.

De iis, quæ criminali executioni, & in spe
vid. th. X. hujus dissert. & in specie de Appellati
nali & aliis impedimentis executionis criminali
erim. part. 3. quest. 139. seqq. & Jodoc. I
pract. rer. crim. cap. 149.



Ad Nobilissimum & Præcellentem

DN. MATTHÆUM SLÜ

J. U. Candidatum

Magni illius JOHANNIS SLÜTE
bratisimi & S. Serenit. Ducalis N

Cancellarii Eminentissimi Filiu

Tanto Parente dignu

publicè Responsurum

De


EXECVTIONIB

Vix nostris pulchrum nome

Athenis

Ex Cathedrâ gestis innatu

E 3



the scale towards document

Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. .